

EPISTULA LEONINA

LXXI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM PRIMAM (71) !

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam septuagesimam primam.

*Hac in Epistolâ agitur de pomis mirabilibus: **de aureis** illis **mâlis** – nôta bene huius verbi syllabam paenultimam esse longam ! – **Hesperidum**, quae rapere iussus est Hercules heros tam robore quam prudentiâ praezellens.*

*Nuper enim a botanicis quibusdam rogatus, ut in theodiscum converterem fructûs cuiusdam descriptionem Latinam, incidi in opus mirabile saeculo XVII. conscriptum, quo inter se coniunctae sunt considerationes botanicae et mythologicae. Quod opus a **Iohanne Baptistâ Ferrario** stupendâ cum varietate et subtilitate compositum inscribitur »**Hesperides sive de Mâlorum Aureorum Culturâ et Usu libri quatuor. Romae 1646.**«*

Non potui, quin ex hóc opere uberrimo pauca saltem verba excerpta Tibi exhiberem. Addidi mythum Herculis mâla Hesperidum rapientis a Gustavo Schwab narratum et a me in Latinum conversum.

Cara lectrix, care lector, attende: laetaberis.

Pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, **d. Solis, 16. m. Mart. a.2014**



ET PESSIMI EXEMPLI NEC NOSTRI SAECULI EST

TRAIANUS

(53-117 p.Ch.n.)

cfr PLINIUS, Epistulae X, 97: TRAIANUS PLINIO. 1 Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. 2 Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt, ita tamen ut, qui negaverit se Christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando dis nostris, quamvis suspectus in praeteritum, veniam ex paenitentia impetret. **Sine auctore vero propositi libelli <in> nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli nec nostri saeculi est.**

IOHANNES BAPTISTA FERRARIUS SENENSIS
(= *Giovanni Battista Ferrari da Siena 1584-1655*)
QUID SCRIPSERIT DE MĀLIS AUREIS



HORTUS HESPERIDUM.

A.1892 pinxit Frederic Leighton.

Iohannes Baptista **Ferrarius**, qui natus est a.1584 in urbe Senarum (*ital. Siena*) et ibidem mortuus a.1655, fuit Iesuita Italianus et professor Romae docens. Idem scripsit duo opera botanica uberrima necnon edidit lexicon latino-syriacum.

Ferrarius et linguarum et scientiarum peritissimus per viginti unum annos docuit linguam Hebraicam, linguis palaeograecâ Latinâque volubiliter loquebatur necnon a.1622 edidit Lexicon Latino-syriacum, quod inscribitur *Nomenclator syriacus*. Cum multis de causis hic vir doctissimus dignus est, qui commemoretur, tum praecipuê propter studia sua botanica et hortulana extraordinaria, quae mirabiliter manifestantur duobus voluminibus magnificis Latinissimê conscriptis. Ferrario autem plantarum amatori eo licuit frui optimâ occasione disciplinam botanicam colendi, quod fuit inter familiares Cardinalis Barberini, qui possidebat hortos plantarum exoticarum plenos.

A.1632 Ferrarius edidit opus quattuor tomorum, cui titulus est *De Florum Culturâ*. Hoc opus ornatum est tabulis aeneis, quas cum alii tum praecipuê confecit *Anna Maria Variana* (quae videtur esse prima omnium chalcographa professionalis). Primo libro tractantur hortorum cultura et instrumenta hortulani. Altero in libro describuntur species florum diversae, tertio libro explicatur, quomodo hi flores sint colendi. In libro autem quarto exponuntur harum specierum usus et pulchritudo.

Alterum autem opus Ferrarii botanicum hac in Epistolâ Leoninâ fusius exponatur: Quod a.1646 in lucem editum inscribitur *Hesperidae*. Hôc titulo auctor ad mythum Heraclêum, qui spectat ad mâla illa aurea, quae narrantur ab Hercule iussu regis Eurysthei rapienda fuisse, alludens stupendâ cum subtilitate tractat citra et limonia et arancia (sive aurantia) colenda. Ferrarius hôc in opere uberrimo botanicas explicationes cum mythologicis et philologicis tam feliciter coniungit, ut lectorem accuratê doceat simulque haud minus recreabiliter delectet. Operi insunt chalcographemata, quae confecta sunt a *Cornelis Bloemaert II*, *Claude Goyrand*, *Johann Friedrich Greuter*, *Camillo Cungi*, secundum exempla pictorum Romanorum delineatorumve aetatis baroccae illustrium (exempli gratiâ *Pietro da Cortona*, *Andrea Sacchi*, *Nicolas Poussin*, *Pietro Paolo Ubaldini*). Fructûs imaginibus exponuntur magnitudine suâ originali, primo integri unâ cum foliis, deinde dissecti. Aliis tabulis apparent Hercules, scaenae mythicae, aedificia et instrumenta hortulana, eqs. Utroque in opere Ferrarius maximam vim attribuit ad res et verbis et imaginibus quam subtilissimê explicandas. Idem botanicus et philologus spectabilis fuit primus omnium, qui totum genus citrorum botanicum subtilitate scientificâ descripserit. Necnon lectori pandit usum talium fructuum medicinalem. Nonnulla verba Ferrarii ex *Hesperidibus* excerpimus. Cara lectrix, care lector, fruire his mâlis *Hesperidum aureis!*

IOHANNES BAPTISTA FERRARIUS: *Hesperides sive de Malorum Aureorum Cultura et Usu libri quatuor*. Romae 1646.



INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.

De aditu ad Hesperides.

<i>Cap. I Operis consilium. pag.</i>	1
<i>II. Partitio</i>	3
<i>III. Pictura ornatix</i>	4
<i>IV. Hesperidum fabula</i>	5
<i>V. Hesperidum fabulae vestigia in antiquis simulacris</i>	10
<i>VI. Earundem Hesperidum historia et allegoria</i>	33
<i>VII. Hesperidum arboris pomique nomina varia</i>	36
<i>VIII. Nominum etymologiae</i>	41
<i>IX. Mala, quae ab acore nominantur, antiquitati cognita</i>	46
<i>X. Horti Hesperidum in Italiam translati</i>	48

LIBRI SECUNDI.

De malo citreo.

<i>Cap. I Rerum ordo tradendarum</i>	55
<i>II. Mali citrei genus multiplex</i>	55
<i>III. Malum citreum vulgare</i>	56
<i>IV. Malum citreum dulci medulla</i>	72
<i>V. Malum citreum digitatum seu multiforme</i>	75
<i>VI. Citreti situs</i>	92
<i>VII. Terra et laetamen</i>	100
<i>VIII. Mali citrei satus</i>	101
<i>IX. Insitio</i>	103
<i>X. Propagatio</i>	113

<i>XI. Consitio.....</i>	<i>114</i>
<i>XII. Translatio et collocatio.....</i>	<i>118</i>
<i>XIII. Pastinatio et stercoratio.....</i>	<i>122</i>
<i>XIV. Irrigatio.....</i>	<i>125</i>
<i>XV. Putatio.....</i>	<i>127</i>
<i>XVI. Artis in citro miracula.....</i>	<i>133</i>
<i>XVII. Frigori calorique remedia.....</i>	<i>138</i>
<i>XVIII. Citri morbis noxisque medicinae.....</i>	<i>156</i>
<i>XIX. Mali citrei maturitas, lectio, conservatio.....</i>	<i>158</i>
<i>XX. Utilitas citri vulgator.....</i>	<i>160</i>
<i>XXI. Utilitas citri occultior.....</i>	<i>172</i>

LIBRI TERTII.

De malo limonio.

<i>Cap. I. Limonis origo et varietas.....</i>	<i>187</i>
<i>II. Limon vulgaris.....</i>	<i>191</i>
<i>III. Limon ligusticus.....</i>	<i>195</i>
<i>IV. Limon Caietanus et Amalphitanus.....</i>	<i>203</i>
<i>V. Limon pusillus Calaber.....</i>	<i>209</i>
<i>VI. Limon, qui vulgò nominatur à Rio seu Rivo.....</i>	<i>213</i>
<i>VII. Limon Laurae.....</i>	<i>217</i>
<i>VIII. Limon incomparabilis.....</i>	<i>221</i>
<i>IX. Limon imperialis.....</i>	<i>221</i>
<i>X. Limon dulci medulla.....</i>	<i>227</i>
<i>XI. Limon pyri effigie, vulgò retta sive spatavora.....</i>	<i>231</i>
<i>XII. Limon Spatafora Rheginus.....</i>	<i>239</i>

XIII. Limon, cui a racemo nomen.....	239
XIV. Limon striatus.....	245
XV. Limon Sbardonius.....	251
XVI. Limon Rosolinus.....	ibid.
XVII. Limon Barbadorus.....	257
XVIII. Limon scabiosus.....	ibid.
XIX. Limon citratus primae notae.....	263
XX. Limon citratus secundae notae.....	279
XXI. Limon ponzinus.....	289
XXII. Limon sponginius.....	299
XXIII. Pomum Paradisi.....	305
XXIV. Pomum Adami.....	309
XXV. Limon, qui dicitur Lumia.....	317
XXVI. Limon, qui Lima nuncupatur.....	331
XXVII. Arboris limoniae situs.....	341
XXVIII. Terra et fimus.....	346
XXIX. Satio et insitio.....	346
XXX. Consitio, propagatio, translatio et collocatio.....	348
XXXI. Stercoratio, rigatio, putatio.....	350
XXXII. Ab iniuriis caelestibus, morbisque defensio.....	351
XXXIII. Limonis legendi servandique ratio.....	352
XXXIV. Utilitas apud nostrates.....	353
XXXV. Utilitas apud externos.....	360

LIBRI QUARTI.

De malo aurantio.

<i>Cap. I. Similitudo in aurantiis.....</i>	367
<i>II. Mala aurantia genere varia.....</i>	374
<i>III. Aurantium vulgare.....</i>	374
<i>IV. Aurantium semine carens.....</i>	381
<i>V. Aurantium geminum et crispo folio, et flore duplici.....</i>	387
<i>VI. Aurantium stellatum, et roseum.....</i>	393
<i>VII. Aurantium virgatum, striatumque.....</i>	397
<i>VIII. Aurantium foemina sive foetiferum.....</i>	403
<i>IX. Aurantium hermaphroditum sive corniculatum.....</i>	407
<i>X. Aurantium callosum multiforme.....</i>	407
<i>XI. Aurantium distortum.....</i>	413
<i>XII. Aurantium citratum.....</i>	422
<i>XIII. Aurantium Olysiponense.....</i>	425
<i>XIV. Aurantium Indicum in Insulis Philippinis.....</i>	429
<i>XV. Aurantium Sinense.....</i>	430
<i>XVI. Aurantium dulci cortice.....</i>	430
<i>XVII. Aurantium maximum.....</i>	437
<i>XVIII. Aurantiae situs.....</i>	443
<i>XIX. Terra, fimus, satio, insitio.....</i>	450
<i>XX. Consitio, prorogatio, translatio, et collocatio.....</i>	451
<i>XXI. Stercoratio, fossio, irrigatio, putatio.....</i>	452
<i>XXII. Medicina et tutela.....</i>	454
<i>XXIII. Maturitas.....</i>	466
<i>XXIV. Utilitas arboris.....</i>	467



**Ecce tres Hesperides tria genera mâlorum aureorum exhibentes:
a sinistris aurantium (=arancium) tenet Hesperethusa, a dextris limonium Arethusa, a
dextris citrum Aegle.**

v. Giovanni Battista Ferrari, Hesperides, sive de Malorum Aureorum cultura et usu, 1646

HERCULES SIVE ADITUS AD HESPERIDES

LIBER PRIMUS.

Operis consilium. Caput I.

DECRETUM iam est mihi hortensium rerum humili scriptione humi ultra non repere: sed erectiore argumento caelum aliquando suspicere, arduoque conatu eruditum volatum attentare: cum laboriosa Herculis gloria, ab aureis Hesperidum spoliis nitidissima, perstrinxit ac pupugit animum ad hortos iterum aggrediendos simili aemulatione facinoris. Neque verò, dum gloriosè facere nitor, fabulas aemulor, Hercules profecto nequaquam fabulosus est cultura recentior, fabulae involucris, quasi Leonis exuviis personata: quae labore omnia pervincente, tamquam domitrice clava, magis metuendum excubitore Dracone, diu ineluctabilis difficultatis monstrum ita infregit, atque mactavit: ut Hesperidum pomaria eduli auro spoliaverit: et felici malo nobiles Medorum silvas, extero in solo pridem indociles hospitari, totius iam ferè terrarum orbis effecerit inquilinas: imò verò quot auriferas consevit arbores, totidem victoriae suae splendida et pretiosa trophaea statuerit.

Quare culturam eandem, propagato tam frugifero nemore beneficam victricemque, gratulabundae Hesperides, triplex aurei pomi genus pari numero significantes, peculiari arborum suarum laurea coronant. Contra verò Africa maestissimae sub imagine sacerdotis singularem aureorum gloriam pomorum ereptam dolet. Eadem herculeo vultu cultura incumbit arae, iuxta Hesperidum hortos Herculi quondam ad gloriae monumentum excitatae: ut exhausti praeclari laboris nullum esse solacium iucundius interpretemur, quàm collatum in homines summo dignum honore beneficium. Hunc igitur Herculem aggredior exhibere. Hercule dignum hortensem laborem, mihi quoque decorum reor. Ergo quem ille faciendo exhausit, ego scribendo exantlabo: nobilissimae scilicet experimenta culturae digeram in praecepta. Erit pro clava calamus: cuius quamvis exigui ac perlevis pondus et vis in rebus arduis profligandis herculeam clavam exaequat. Nec mihi deerunt coronariae frondes, quarum arbores colo. Mea quoque cultura decenter arae innititur et inscribitur: quandoquidem labores meos mortalium utilitati dicatos, divinoque Numini consecratos volo. Atque hoc mihi consilium pulchrè iniecit is, quem animus sibi meus appinxit: validè autem confirmavit idem, quem summo pictor artificio in huius fronte operis expressit, Herculis aurea mala rapientis illustris labor. Tam enim graphicè Petrus Berrettinus Cortonensis herculeam in Hesperidum hortis victoriam repraesentavit: ut ad consimilem scriptura laudem aemulandam, suo me vehementer Hercule roborarit. Et sanè nullum ille mihi potuerit argumentum delineare

congruentius: ut animo meo conceptum opus lineis suis decorum, et luce dignum formaret in partum: utque simul picturae suae dotes eximias sine coloribus perfectissimè expingeret. Etenim torosa et robusta, planèque herculea delineandi ac pingendi arte sic valet, ut, profligata Draconis instar mordacissima invidia, immortalis gloriae spoliū aureum reportarit. Quin etiam herculeo et lacertoso pingendi generi adiungit raro alioqui commercio venustatem, Hesperidum, nempe hortensium gratiarum, pulchritudine adumbratam. Testis est Barberinorum aula Quirinalis: cuius concameratio efficaci Petri penicillo mutata in caelum est: quoniam inde caelestium chorus virtutum, fugato vitiorum agmine, cum aureo melleoque regnantium Apum saeculo in terras remigravit. Sic autem reduces inter virtutes pictura ipsa eminet, sic vivit, et insolito vigore spirat: ut cum iisdem caelo delapsa videatur.

Sed ad rem meam ut redeam, ita praeterea me blanda ratiocinatio, fluctuantis pectoris intima Siren, invitat. Age, inquit, hortensis culturae scriptor genialis praecipuum hortorum decus, nimirum poma, et quidem aurea, floribus adiunge. Cave, ne Florae Pomona publicam lucem, plausumque familiari foeminis vitio invidens, iras in te dirasque convertat. Cusum è ferro cognomentum tuum, ac recentis argumenti volumen splendido Hesperidum nomine, flavoque pomo inaura. Aetate aurea inter hortos auriferos innocenter fruire: dum reliquo in orbe terrarum ferreum saeculum nocentissima rubigine mores inficit, et communem exedit felicitatem. Complures, qua sanguinis qua sapientiae splendore carissimos, nostrates Cyros imitare: qui felicissimas eiusmodi arbores sua manu satas esse, cultasque gloriantur: et, quod illi cultione docent, tu dictione commonstra: quin etiam Regum omnium sapientissimum Salomonem laudabiliter aemulare. Nam si divinarum ille praeconio litterarum in caelum extollitur, quòd à cedro infructuosa Libani ad herbulam usque hyssopi demisso regio stylo, disputavit: quidni tibi decorum planèque regium fuerit, ab hortensibus flosculis ad arborem cedro Libani cognominem, sed esculenti auri feracem transcendisse scribendo?

Neque hic verere, ne pulcherrimo foecundissimoque in argumento tibi fuerit admirandae novitatis gloria praerepta: cum Iovianus Pontanus, aliique perpauci pomiferae huiusce rei scriptores, ad maiora fortasse properantes, hanc silvam cursim obierint, non curiosè perlustrarint, multumque tibi parandae ab hac umbra lucis reliquerint.

Quòd si flores, etiamnum amores tui, non acri spiculo, sed suavi spiritu penetrabiles, medullitus dominantur: habes in uno, quem excolis, beati nemoris huius flore floreas venustates omnes, verisque Veneres universas. Hic enim anima, ver totum redolente, animat: buccula, verum

in risum dehiscente, hilarat: et (quod caput est) utile dulci permiscens, non sterili specie solum delectat; sed, candidus dum flavescit in fructum, argento in aurum transeunte opulentat. Vides, ut Apes, florum arbitrae prudentissimae, aurei mali argenteo flore potissimum delectantur: dum vectigalis ab eo suavitate multum exigunt, atque exugunt: dum opifices dulciariae, tamquam acidi pomi dulce condimentum confecturae, melleam dulcedinem è floris amaritie delibant. Ergo sequere iucundo in opere mellificas Musarum volucres: Troianique Herois, imbelles columbas sequentis, notas preces melius usurpa, Este duces. Tam prospero auspicio suaviter scribes, quod Apes imitaberis.

Ad huius ego arcanae, ac sine voce nutuque argutae Sirenis flexanimam et verticordiam suadelam non aures praeclosi: sed manus dedi, non vinculo, sed calamo feliciter occupandas.

Partitio. Caput II.

AUREA mala, ut in veteri horto, sic in recenti volumine Hesperidum nomine decet inscribi. Universum verò volumen distingui placet in libros quatuor, singulosque nomen à personis ducere, pomorum aureorum seu cultu, seu raptu inclytis. Quoniam igitur Hesperides antea inaccessas primus adiit Hercules: liber primus, nonnulla in eorundem cultura usuque pomorum praenosceda complexus, meritò Hercules, sive Aditus ad Hesperides nominatur. Caeterum ipsae etiam Hesperides, sua triplicis generis poma numero aequantes tribus reliquis libris suum pomique nomen ita impertiunt, ut secundum librum Aegle, sive malum citreum: tertium Arethusa, sive malum Limonium: quartum Hesperthus, sive malum Aurantium inscribat. Cum enim communi scriptorum usu vulgatissimum sit, fabulosa numina pro rebus iis, quibus praeesse putarentur, usurpari: non ab re visum est tres ipsas Hesperides ad aurea triplicis generis designanda mala transferre, quorum illae creditae cultrices et custodes fuerint.

Quoniam verò triplex horum genus pomorum complures in species foecundo naturae atque artis ingenio ramosum est: culturam ego scribendo exequar accuratissimam singularum. Et primum quidem ut pomarii multiformis indolem variam, et inter hortensia stativa merentem, bonae frugis arboreum hunc populum suum cultor, Caesare melius, non solum nomine tenus sed intus et in cute cognoscat: diligenter describam arborum conformationem aetatemque: foliorum florumque faciem, et colorem: pomorum globos et integros et dimidiatos: sic enim singulae partes, colono praediscendae, quibus, tanquam elementis hi orbis aurei conglobantur, palam fient. Ad haec subiciam, quam postulet quaeque species culturam: quae medicamenta cum aegrotat. Ad extremum, quo foenore utilitatis, et voluptatis haec pomaria colantur, enarrabo. Neque id

aegrè consequar: cum, antequam aggrederer ad scribendum, regionum diversarum multiplicem in eiusmodi felicibus excolendis arboribus usum, atque adeo mundi hortensis mores diuturna investigatione collegerim. Ut, quoniam cultae multum scriptionis deerit in hoc opere, alienae saltem culturae quàm minimum desideretur.




Pictura ornatrix. Cap.III.

Sed ut quaesitis undique ornamentis illustre dignumque aureis malis opus, nempe aureum Ferrarius extunderem: quos oratione depinxi auriferae silvae partus, auxiliaris artificio picturae describendos curavi. Ad eiusdem silvae umbram et iucundam et salubrem detinere saepius lectorem placet fabulis, rei seriae subservientibus. Hae quamvis ruditer a me narratae, praestantissimis tamen a pictoribus graphice descriptae ita in conspectum veniunt: ut ipsi testes simul ac iudices oculi fictum a facto non secernant. Quare post fabulae cuiusque linearem picturam pictoris ego gratam commendationem, ex ipso picturae argumento natam, subiciam: quemadmodum initio praestare coepi.

LIMON CITRATUS PRIMAE NOTAE

(LIB. III, CAP. XIX, P.263)



LIMONIUM, quotquot sunt, nobilissimum suavissimumque, et insitivum, (ut aiunt), citri filium, qui de citreo odore similique indole citratus dicitur, hetruscus Petrae sanctae ager, Liguriae contiguus, cedrini vocabulo parit. Inde translatum alit duplici discrimine laudatissimum laudum altrix omnium Florentia. Vocat haec alterum à minutiore scabritia laevem: alterum verò ab eminentioribus tuberculis scabrosum, et vernaculo nomine à rudis asperique trunci effigie bronconem. Non una priori pomo magnitudo. Florentino, quàm romano in solo plerunque maioris est incrementi, et lumiae nonnunquam tumorem et pondus aequat. Forma eidem saepius oblonga, et magna ex parte tumens: inde paulatim gracilescens, prolixoque fastigio mucronata: interdum etiam papillato apice mammosa: vel innatis pomis aliis, uterum gravidantibus, rotunda. Cutis iam satis maturo aurea, tenera et perspicua, punctim lacunosa,

verruculis plerunque scabra, rugisque caperata, et aromatum odorato acumine iucunda; mandenti etiam cum reliquo pomo non ingrata. Carnosa pars duum ferme digitorum gustu praetenera praetenera et suavis: succosa verò denis undenisve loculosis membranis comprehensa et subacidula. Semina ferè vicena. Delicatae habitudinis arbor calores ac frigora praeformidat: ad sena cubita excrescit: assiduo flore ver agit aeternum: folio vestitur satis prolixo, crasso, bene virente ac saepe leviter crispo. Eadem fructus promiscuè simplices, alioque alium includente multiplices praebet: qui tamen invicem avelli possint. Sed in extrema Hetruria Petrae sanctae oppido, adiacens ager, proximi maris egelido halitu, mirè fertiles citratos limones limonibus aliis gravidos frequentius parit. His forma saepe obtusior, interdum quoque turbinatior. Eorundem aliquo à summo ad imum in plura segmina summatim conciso, limon alter interior apparet. Et hic medius si dissecetur: post auream cutem, candidamque carnem, albida medulla sese in conspectum dabit, tertium non raro pomum, pomive rudimentum circumplexa. Quinetiam extimi è pomi fenestrata incisura minorum nonnunquam limonum congesta pullities introspicitur. Interdum autem suae spontis hiatu patescens exterioris pomi uterus alius limones, tanquam foetus inclusos cohaerentesque fraterculos parturit, quia patefacit: nec tamen parit, quia non excludit. Animadversum praeterea est, id genus limonem caeteris odoratiùs vibrare, intimumque fructum extimo teneriorem esse ac suaviorem. Alter eiusdem generis et praestantiae citratus limon, sed praedicto grandior, et consimilium pomorum foetura saepius praegnans cortice tegitur bene flavo, insigniter verrucoso atque, ubi maturuit, penetrabili luce splendido. Duum praeterea digitorum carne tenerrima suavissimaque, necnon media iucundae acrimoniae medulla, duodenis fere intercusantibus discriminata membranis, et rara semina, plerunque inania, continente suppletur. Folio viret saturi coloris, ampliore sparsimque crispante. Flore promittitur grandiore, intus albo, foris vini rubelli colorem referente, gratique odoratus. Et ipsa quidem citrati limonis arbor, si cultu sedulo iuvetur, toto florebit anno. Ea vero poma, quae anni vegeta et genitili iuventute, verno scilicet concipiuntur, ad iustam absolutionem, quippe vitali solis accessu percocta et maturata, perveniunt. Sed quae caeteris anni partibus, minus ad genituram tempestivis, existunt, aetate plerunque nulla tenerescunt. Iam vero quaerenti causam vero praegnationis in pomo admirandae philosophiacam habeo et poëticam afferre. Igitur cum seminis partes inter se diversae, quas etherogenias vocant, loci fertilitate exuberant: cumque foetum informans arboreum vivida vis, quam vulgo spiritum appellant, multiplicata dividitur: uni facile pomo alia ingenerantur, prout partes easdem vario lusu lasciviens natura digesserit.

OPERA

IOHANNIS BAPTISTAE FERRARII (1584-1655)

BREVITER DESCRIPSIT

NONNULLOSQUE TEXTŪS

EX EIUSDEM OPERE HESPERIDUM

EXCERPSIT



LEO LATINUS

NICOLAUS GROSS

<http://www.leolatinus.com/>

DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur
LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**

HERCULES QUOMODO MĀLA HESPERIDUM RAPUERIT

Mythus a Gustavo Schwab theodiscê narratus, a Nicolao Groß in Latinum conversus

Duodecim iam laboribus exanclatis Hercules, cum duo illorum ab Eurystheo facti essent irriti, non potuit, quin susciperet etiam duos exanclandos.



Hesperides. A.1981 pinxit Wolfgang Bergt.
Alii dicunt eas fuisse quattuor virgines, alii tres.

Cum olim in Iovis et Iunonis nuptias sollemniter celebrandas dei omnes pari magnifico dona nuptialia traderent, Tellus quoque posteriores ferre nolens curavit, ut in Magni Oceani Mundani litore occidentali cresceret arbor ramosa mâlorum aureorum plena. Quattuor virgines, quae appellabantur Hesperides, filiae Noctis, erant custodes huius horti sacri, quem praeter illas etiam custodiebat draco quidam centiceps, Ladon, filius Phorcycis¹, qui genuit permulta monstra famosissima, et Cetûs² tellurigenae.

Hic draco numquam somno captus in propinquo cum erat, audiebantur stridores horribiles; nam ex omni centum eius gutturum resonabat vox alia. Isti monstro Hercules ab Eurystheo iussus erat eripere mâla Hesperidum aurea. Idem semídeus profectus est ad iter faciendum longum atque periculosum, quod non potuit, quin in casum caecum ancipitis eventûs committeret, quia nescivit, ubi Hesperides habitarent. Primo Hercules pervênit Thessaliam, ubi habitabat Termeros gigas, qui omnes advenas, in quos inciderat, capite suo durissimo tam vehementer

¹ Phorcys, G.sg. Phorcycis m. Φόρκυς .

² Cētō, G.sg. Cētûs f. Κητώ .

incursabat, ut morerentur. At caput gigantis cum Herculis collisum diffractum est. Postquam perrexit, heros ad Echedorum fluvium incidit in monstrum alterum, Cycnum, filium Martis et Pyrenes. Is a semideo de hortis Hesperidum rogatus, cum pro responso postulavisset, ut Hercules secum pugnaret, ab eodem occisus est. Tum ipse Mars apparuit, ut filium occisum ulcisceretur; itaque Hercules debuit cum Marte pugnare. At cum Iuppiter nollet a filiis suis effundi sanguinem fraternalium, pugnantibus unus ab altero seiuncti sunt fulmine interiecto.



Ecce Hercules Ladonem clavâ occisurus. Quam imaginem a.1670 pinxit Carpofo Tencalla (Marmorsaal Schloss Trautenfels (in Styria = Steiermark, Austria)). Mythus Herculis mâla Hesperidum rapiens variè narratur. Aliter ac hic pictor Gustavus Schwab narrat Herculem curavisse mâla ab Atlante surripienda.

Nunc Hercules iter pergens terram Illyricam permigravit, Eridanum fluvium transiit, vênit ad nymphas Iovis Themidisque, qui ad ripas huius amnis habitabant. Ex iis quoque quaesivit, ubi essent Hesperides. Nymphae: »I« inquiunt »ad Nereum veterem deum fluminum, qui est

vates omniscius. Quem dormientem oppressum et in vincula coniectum coge, ut tibi rectè indicet viam.« Hercules hanc suasionem secutus deum fluminum cohibuit, quamvis is iterum iterumque mutaret formam indutam. Heros autem Nereum non emisit antequam ex eo audivit, qua in regione mundi inventurus esset mâla Hesperidum aurea. Tandem doctus denuo profectus Libyam atque Aegyptum permigravit.



Hercules cum Hesperide Anagninus
Hercules cum Hesperide Beneuentanus.



Hercules inter Hesperides Romanis in hortis
Mediceorum

Hae tabulae aeneae secundum exemplum Hesperidum Ferrarii delineatae et manu coloratae inveniuntur in opere Iohannis Christophori Volckamer, quod inscribitur: Nürnbergische Hesperides. Norimbergae (=Nürnberg) 1708.

In Aegypto dominabatur Busiris, filius Neptuni atque Lysianassae. Eidem in caritate annonae novenni ex insulâ Cypro erat praedictum sterilitatem agrorum finitum iri, si Iovi quotannis vir alienus esset immolatus. Ut vati gratias ageret, eum ipsum immolavit primum; paulatim iste barbarus immolando tam vehementer delectabatur, ut omnes qui Aegyptum venerant peregrinos mactaret. Ita Hercules quoque correptus ad aras Iovis tractus est. Heros autem vinculis discissis Busirin eiusque filium praeconemque sacerdotalem occidit. Varia pericula subiens Hercules iter perrexit, liberavit – ut iam est narratum – Prometheus titanem catenis ad Caucasum alligatum, tandemque secundum suasionem illius a vinculis liberati pervenit in terram, ubi Atlas onus caeli ferebat et in

cuius propinquo arbor mâlorum aureorum plena custodiebatur ab Hesperidibus. Prometheus semideo suaserat, ne ipse fructûs aureos raperet, sed ut Atlantem emitteret illos capturum. Hercules ipse promisit se hoc auxilium remunerantem loco Atlantis caelum esse laturum. Atlas autem cum assensus esset, heros umeros suos ingentes supposuit caeli convexioni. Deinde ille profectus draconem circa arborem se volventem sopivit, necavit, virgines custodes dolo fraudans tria mâla carpsit Herculique feliciter attulit. Tum Atlas: »At«, inquit, »quia nunc sentio, quam iucundum sit incedere umeris ab onere caeli liberatis, caelum ferre non iam volo.« Itaque mâla coram Hercule humum proiecit illumque reliquit insolito onere intolerabili suppressum. Nunc Hercules dolum nexurus, ut onere liberaretur, sic allocutus est gigantem caeliferum: »Sinas me, quaeso, paulisper tantummodo arculum³ circum caput vincire, ne onere horrendo diffringatur cerebrum meum.« Atlas hoc rogatum haud improbens iterum caelo se supposuit id se in pauca tantum momenta temporis se facere opinatus. At Hercules nequaquam onus recepturus fraudatorem fraudans abiit fructibus humo arreptis, quos attulit Eurystheo, qui, cum sibi non contigisset, ut Herculem de medio tolleret, mâla ei reddidit ut dona. Hercules autem haec poma sacra imposuit arae Minervae; quae dea, cum sciret fas esse hos fructûs divinos servari nullo loco alio, mâla aurea reportavit in hortum Hesperidum.



HUNC MYTHUM A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM IN LATINUM CONVERTIT



LEO LATINUS
NICOLAUS GROSS

<http://www.leolatinus.com/>

³ Minus subtiliter Gustavus Schwab in textu theodisco hanc rem appellat „*einen Bausch von Stricken*“ (*torum restium*), quod termino tecnico theodisco dicitur „*der Kringen*“. Latine talis anulus, cui imponuntur onera capite ferenda, appellatur: **cesticillus**, -i m. PAUL.Fest.45,1 sive **arculus**, -i m. PAUL.Fest.10,6. cfr Ferrari, Hesperides I, p.5, cap.V: „At Hercules rotundo sub onere aegre gibbus, et in alterum prope mundum rotundatus, cum redire idem, nempe rectus, in patriam vellet, tamquam **cesticillum** capiti facturus, ut mollius oneraretur, mundanam sarcinam atlantaeis in humeris reposit: raptimque lectis e terra malis aureis profugit“.



Recitator

Fabula romanica
quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavariæ Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

CORRIGENDUM (EL LXX, p.3)

Radulfus (Raul) Lavalle, lector Bonaeropolitanus attentissimus, monet EL 70, p.3, in verbis Archimedis Doricis per errorem omissam esse litteram ny; scribendum esse **ΔΟΣ ΜΟΙ ΠΑΣΤΩ ΚΑΙ ΤΑ<N> ΓΑΝ ΚΙΝΑΣΩ**. Gratias plurimas ago.

Ceterum sententia Archimedis Graeca apud PAPPUM mathematicum citatur formâ Atticâ (PAPPUS ed. Hultsch p.1060:

<https://archive.org/stream/pappialexandrin02hultgoog#page/n67/mode/2up>):

ΔΟΣ ΜΟΙ ΠΟΥ ΣΤΩ ΚΑΙ ΚΙΝΩ ΤΗΝ ΓΗΝ

Ecce versio Latina illius Hultsch (p.1061): "da mihi, ubi consistam, et terram movebo".

Apud IOHANNEM TZETZEM (12. saec. AD) *Chiliades* 2, 129-130 invenitur forma Dorica, sed desunt verba, quae valent "Da mihi":

ΕΛΕΓΕ ΔΕ ΚΑΙ ΔΩΡΙΣΤΙ ΦΩΝΗ ΣΥΡΑΚΟΥΣΙΑ, “ΠΑ ΒΩ ΚΑΙ ΧΑΡΙΣΤΙΩΝΙ ΤΑΝ ΓΑΝ ΚΙΝΗΣΩ ΠΑΣΑΝ.”

Haec hactenus.

N.G.

**HANC EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM PRIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

d. Solis, 16. m.Mart. a.2014

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>